

negotio foris peragendo, quod per cæteros ipsius Cō-
uentus Fratres, ac Oblatos decenter expediri non
posset, sed dumtaxat per ipsos locales Correctores.
Ipsis verò localibus Correctoribus de sui localis Ca-
pituli scientia, & Seniorum consilio Conuentus suos
taliter exire habentibus, aliquem idoneum Fratrem
suo in loco primitus relinquant. Si quis autem ipso-
rum localium Correctorum contrarium fecerit, &
super hoc tria vice admonitus non se correxerit, per
suum Superiorem puniatur.

2. Not. II. quod hic punctus fuit etiam declaratus à
Card. Senogal. de mente Iulij II. vt habes in const. 17.
eiusdem § 6. to. 1. priuil. hoc modo. Præterea simili
auctoritate declaramus, quod, dum in eodem 10. Re-
gulæ, & Correct. capite dicitur, quod Correctores lo-
cales extra Conuentum exire non valent, nisi de
Capituli scientia, debet hoc intelligi prout plenius in
ipso Correct. continetur, quod prædicti Correctores
propter hoc non semper locale Capitulum specialiter
celebrare habeant, sed satis sit, quod ipsi coram Fra-
tribus suis, siue ante, siue post diuinum officium in
Ecclesia, siue ante cibum, siue eo sumpto in Refectio-
rio, debite congregatis, exitus sui causam proponant,
& ita de eorumdem Fratrum scientia, & Seniorum
assensu domos exire poterunt pro causis in Reg. &
Correct. plenius explicatis.

3. Ex his Collige. I. quod iusta ratio, per quam po-
test Corrector Conuentum exire, debet esse talis, quod
negotium foras peragendum non possit expediri decē-
ter, seu æque bene per alios Fratres aut Oblatos, nisi
per solum Correctorem. Vnde si æque bene potest
per alium expediri, non habet Corrector iustam cau-
sam exeundi, & sic Seniores, qui Ordini fidelitatem
promiserunt, idest promiserunt custodiam, & obser-
uantiam Regulæ, nequeunt dicto Correctori licentiam
exeundi concedere.

4. Collige II. quod negotium, propter quod licite
potest Corrector Conuentum exire, debet ad ipsum
Conuentum, siue directe, siue indirecte pertinere; Et
enim